



Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

93. Cæco alteri mendico restituitur visus, postquam Christus egressus est ex Iericho.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

D. N. IESU CHRISTI. 83

euntem, interrogabat, quid hoc esset. Dixerunt autem ei, quod Iesus Nazarenus transiret. *Luc. 18. & 35. 36. 37.*

II. Et clamavit, dicens: Iesu fili David, miserere mei. Et qui praebant, increpabant eum, ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat: Fili David, miserere mei. *Luc. 18. & 38. & 39.*

III. Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogavit illum, dicens: Quid tibi vis, faciam? At ille dixit: Domine, ut videam. Et Iesus dixit illi: Respice, fides tua te saluum fecit. *Luc. 18. & 40. 41. 42.*

IV. Et confestim vidit, & sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo. *Luc. 18. & 43.*

MEDITATIO XCIII.

*Ceco alteri mendico restituitur visus,
postquam Christus egressus est ex
Iericho.*

I. **P**ROFICISCENTE IESU de Iericho, & discipulis ejus, & plurimâ multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus sedebat juxta viam mendicans. Qui cum audisset, quia Iesus Nazarenus est, coepit clamare, & dicere:
IESU,

IESU, fili David, miserere mei. *Marc. 10. v. 46. & 47.*

II. Et comminabantur ei multi, ut taceret. At ille multò magis clamabat: Fili David, miserere mei. Et stans Iesus præcepit illum vocari. Et vocant cæcum dicentes ei: Animæquior esto, surge, vocat te. Qui, projecto vestimento suo, exiliens, venit ad eum. *Marc. 10. v. 48. 49. 50.*

III. Et respondens Iesus dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei: Rabbi boni, ut videam. Iesus autem ait illi: Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur eum in via. *Marc. 10. v. 51. & 52.*

ANNO TATIO I.

Videri potest hic cæcus, Bartimæus Marci, idem esse ille, de quo Lucas superius, propter omnimodam facti similitudinem. Verum, quia Lucas suum miraculum scribit à Domino factum, antequam ingrederetur Ierichuntem: Marcus vero suum scribit patratum, posteaquam egressus est Ierichunte, dicendum est cum S. Augustino lib. 2. de questionibus Evang. cap. 48. & lib. 2. de consensu Evangelist. cum Cornel. Iansenio Concord. Evang. cap. 105. Seb. Barradio tomo 3. lib. 6. c. 17. Ioanne Roberti Quadrig. mystic.

D. N. IESV CHRISTI. 85

*mystic. sect. 108. § 111. esse duo diversa
miracula, quamquam inter se simillima.*

ANNOTATIO II.

Quod Marcus de uno cæco, Matthæus
de duobus narrat. Cujus rei rationem D.
Augustinus lib. 2. quæst. Evangelic. cap. 48.
assignat. Marcus unum cæcum commemorat,
cujus § nomen dixit, § patrem; ut intelli-
gamus eum fuisse notissimum, alterum igno-
tum: ut merito ille notus etiam solus decenter
commemoraretur. Et rursus lib. 2. de con-
sensu Evangelist. cap. 65. Procul dubio (ait)
Bartimæus ex aliqua magna felicitate deje-
ctus, notissima, § famosissima miseria fuit;
quod non solum cæcus, sed etiam mendicus se-
debat. Hinc est ergo, quod ipsum solum so-
luit commemorare Marcus; cuius illumina-
tio tam claram famam huic miraculo com-
paravit, quàm erat illius nota calamitas. Ec-
ce tibi verò & alteram ex Matthæo narratio-
nem de duobus cæcis illuminatis.

MEDITATIO XCIV.

*Christus Ierichunte digressus, duos cecos
illuminat.*

EGredientibus illis ab Iericho, secuta est
eum turba multa: & ecce duo cæci se-
dentes secus viam, audierunt, quia Iesus
trans-